



Tractatus De Magis, Veneficis Et Lamiis, Deque His Recte Cognoscendis Et Pveniendis

Propter Varias & controversas de hac quaestione hominum sententias,
vtilissimus & cunctis ad Rerumpublicarum gubernacula sedentibus
maxime necessarius ... in tres libros distributus

Gödelmann, Johann Georg

Francofurti, 1591

VD16 G 2487

Capvt I. De malatia & odio diaboli aduersus Deum & homines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61507)



LIBRI I. CAPVT I.

DE MALITIA ET ODIO
DIABOLI AD VERSVS DE-
VM ET HOMINES.

Summæ.

- 1 *In quantis periculis mortales in hoc mundo versentur.*
- 2 *Diabolus obambulat sicut leo rugiens, quærens quem devoret.*
- 3 *Satanas Christum tentauit.*
- 4 *Diaboli potentia describitur.*
- 5 *Augustini dictum de malitia Diaboli.*
- 6 *Historia de hospite Marchico.*
- 7 *Historia duæ memorabiles, quæ in Silesia acciderunt.*
- 8 *Historia de Sponsa Saxonica.*
- 9 *Abstinendum à diris imprecationibus & seruanda sunt promissa.*
- 10 *Arma piorum contra Diabolum.*
- 11 *Diabolus nouit Christum Salvatorem esse hominem.*
- 12 *Diabolus in propagando suo regno, tanquam simia, Deum imitatur.*
- 13 *Diabolus nihil magis in votis habet, quam vt crescat inter homines Dei prophanatio.*
- 14 *Dæmones pro Dijs colebantur.*
- 15 *Numerus Deorum apud gentes.*
- 16 *Potestas Diaboli finita.*
- 17 *Citra Dei assensum nihil potest Satan.*

C 2

Mulra



1 **M**ulta quidem & gravia pericula miseros
 mortales in hac lachrymarum valle & diversorio
 exercent, at omnium gravissimum est quòd (vt
 Doctor gentium Ephes. 6. vers. 5. scribit) nobis non
 solum adversus carnem & sanguinem lucta est, sed adversus im-
 peria, & potestates, & dominos tenebrarum seculi huius, id est,
 adversus Satanam, qui mundi imperium sibi vendicat, qui om-
 nes homines aeterno exitio, cui ipse iam olim destinatus est,
 2 demergere conatur. Ideoque obambulat sicut leo rugiens, que-
 rens quem devoret, 1. Pet. 5. vers. 8. & ita indefesso studio mille
 dolis, mille artibus nocendi salutis nostrae insidias struit, vt qua-
 vis sapissimè repellatur, pugnam tamen sapissimè instaurat.
 3 Si enim tanta est eius audacia vt aeternum Dei filium, semel atq;
 iterum aggredi non sit veritus, quam obsecro securitatem no-
 bis polliceri possumus, qui & proprijs cupiditatibus abrepti ad
 malum ferimur, & ipsi occasiones praebeamus hosti nostris pec-
 4 catis nos aggrediendi. Has diaboli insidias poeta quidam chri-
 stianus sequenti carmine ita descripsit:

*Et tempestates, incendia, seditiones,
 Bella, famem, pestem, dirigenus omne tumultus,
 Et varios morbos, varia infortunia rerum,
 Naufragia, & mentes discordes, horrida vita
 Exempla, & casus tragicos, & cuncta pericla
 Incitat, & cumulat satanas, afflatq; furorem,
 Ex scintilla ignem facit, & surit impiger hostis.
 Omnia, momento, cupit esse extincta, vel vno,
 Omnia molitur, vocat alta tonitrua caeli,
 Permittente Deo, vocat omnia flumina aquarum:
 Quod cadit ille, pedes quod frangit & vnus, & alter
 Amittit miserè vitam, certe efficit iste,
 Quòd tantus cumulus, moles & tanta malorum est*

Iste

DE MALITIA DIABOLI.

*Iste facit, videt, auscultat, movet omnia dira,
Promptus ad exitium nostrum, vi, fraude, dolisque,
Arte valet, valet insidijs, & robore & astu.*

*Nemo sua poterit virtute resistere tanto
Hosti, divino fulius nisi robore praestet.*

Artificiose nimis maligni huius spiritus conatus varios descri-
bentem audi Augustinum, Serm. commun. Serm. 4. Quid
pravius, quid malignius, quid dūe adversario nostro nequius? q
posuit in Cælo bellum, in Paradiso fraudem, odium inter pri-
mos fratres, & in omni nostro opere Zizania seminavit. Nam
in comestione posuit gulam; in generatione luxuriam, in exer-
citatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatio-
ne avaritiam, in correctione iram, in praesulatu sive dominatio-
ne superbiam, in corde posuit cogitationes malas, in ore posu-
it locutiones falsas, in membris operationes iniquas : in vigi-
lando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia,
laetos movet ad dissolutionem; tristes ad desperationem: Sed
vt brevius loquar, omnia mundi mala sunt ipsius pravitati cō-
missa. Haecenus Augustinus. Vt autem diabolorum saevitiam 6
& impiorum poenas accuratius consideremus, & in timore Dei
vivamus, quatuor historias adijciam; diligenter omnibus per-
pendendas. Ioachimo I. Electori Brandenburgico nupta fuit
Ioannis Daniae, Sveciae & Norvegiae Regis filia Elisabetha,
cui, vt alimenta se mortuo Regina haberet, oppidum Spanda-
co ad Svevi & Haveli fl. confluentem maritus attribuit, in quo
oppido, ipsa adhuc vivente, miles quidam per Marchiam iter
faciens, cum morbo impeditus detineretur, decumbens, tradi-
dit crumenam pecunia refertam hospita asservendam. Post
aliquot dies, cum convalescit, repetit saccum. Mulier avara
cum egrè tantam praedam amitteret, deliberat cum viro, vtrum
reddere debeat. Incunt consilium, vt mulier neget depositum.
Quare cum miles suum repeteret, illa confidenter negat se qd-

quam accepisse, simulat se mirari impudentiam militis, qui astitit flagitare, cum nihil dederit ad servandum. Miles indignitate rei motus, obijcit vicissim hospiti perfidiam. Quare maritus tanquam defensusus suam coniugem, extrudit militem domo: is ante fores irritatus scelere hospitem stringit gladium, veluti impetum facturus in virum & ferit ianuam. Hospes implorat fidem vicinorum, & queritur suas aedes oppugnari, accurrunt lictores, & militem, quod vim publicam fecisset, abducunt in carcerem. Post aliquot dies senatus oppidi alio mittit narrationem facti, & sententiam perscribi petit. Constabat aedes publice oppugnatas esse. Quare fertur sententia, ut miles ultimo supplicio afficiatur. Cumque iam instaret dies iudicij, venit diabolus in carcerem ad captivum, indicans ei, quam sententiam iudices laturos sint, & pollicetur se hoc periculo eum liberaturum esse, hac conditione, ut se diabolo dedat. Miles constanter respondet, se potius moriturum esse, quamvis sit innocens. Cum vero diabolus verbis multis exaggerasset periculum, nec tamen inflexisset militis animum, tandem pollicetur ei liberationem, sine ulla conditione. Et, cum veneris, inquit, in iudicium, dicte imperitum esse forensium negotiorum, & patrono indigere, ibi a stabo caruleo pileo tectus, & ornatopennis. Pete igitur ut me iubeant causam dicere. Miles qui hoc sine impietate facturus videbatur, ait se hoc consilio usurum esse. Postridie in iudicium ducitur, adest etiam orator tectus caruleo pileo: ibi cum actor peteret militem propter vim publicam capitali supplicio affici, miles respondit, se imperitum forensium negotiorum petere, ut liceat isti suo advocato pro se dicere, concedunt iudices. Ibi diabolus de iure eruditè disputat, non esse capitali supplicio afficiendum eum, à quo non sit ortum rixæ & tumultus initium, ait ab hospite militem vi extrusum & spoliatum esse, iubet quæri saccum & locum monstrat. Ibi cum hospes vehementer negaret, addens etiam diras imprecationes, ut ipsum abre-

ptum

ptum diabolus perderet, si fecisset. Hanc imprecationem cum invocatione diaboli, cum aliquoties repetivisset, ibi causidicus omiſſa iam diſputatione forenſi adoritur hospitem, & comprehenſum per fenestras & medium forum omnibus perhorreſcentibus, cum fragore abducit, nec poſtea vnquam corpus hospitis inventum eſt. In Sileſia acciderunt duæ memorabiles hiſtoriæ, quæ oſtendunt, Angelos nobis adverſus diabolos opem ferre. Quidam nobilis, cum invitaret convivas, & hora convivij iam inſtante & apparatu facto, ſpe fruſtratus eſſet, excuſantibus ſe convivis, cur non comparerent, prorupit iratus in hæc verba: veniant igitur omnes Dæmones, ſi nullus hominū mecum eſſe poteſt. His dictis domo egreditur in templum, vbi paſtor Eccleſiæ concionem habebat, & vt iracundiam concoquat, auſcultat aliquandiu: Dum verò in templo moratur, veniunt equites in aream domus, magni & nigri, & iubent ſervū nobilis, vt dominum ſuum advocet, ei quæ ſignificet, ad eſſe hoſpites. Servus conſternatus abit in templum & indicat hæc domino ſuo, qui neſcius conſilij paſtorem conſulit. Paſtor abruptus concionem hoc conſilium dat, vt tota familia domo exeat, quod cum fieret, & famuli & ancillæ properarent, fortè obliſi infantem in cunis iacentem & dormientem ſecum non auferunt. Dæmones incipiunt commeſſari, & vociferari, proſpicereque per fenestras formis vrsorum, luporum, felium & hominum, & monſtrare pocula vino repleta, aſſaturas & piſces. Hæc vicini, nobilis, paſtor & alij cum viderent, Ah inquit pater, vbi infans meus? vix cum hæc dixiſſet, vnus ex Dæmonibus vlnis ſuis infantem ad fenestras geſtat, quaſi monſtraturus parentibus. Nobilis prorsus conſternatus & ſolicitus de incolumitate infantis, fidum habens ſervum, quem interrogat, queſo tu, dic quid agam? Servus, Domine, inquit, commendabo & committam vitam meam Deo meo, & in nomine domini ingrediar, & vt infantem auferam auxilio & beneficio Dei. videbo,

bo, benè, inquit nobilis, Deus tecum sit, & iuuet te, animùm-
 que tibi cōfirmet. Servus accepta benedictione à pastore & reli-
 quis, ingreditur, & ante conclave, in quo erant Dæmones cō-
 gregati, procidit in genua, & se Deo commendat & hoc animo
 aperit ianuam, & videt Dæmones horribili specie, sedentes,
 stantes, obambulantes, serpentes, & vno impetu accurrentes
 ad se & vociferantes, Hui; Hui, tu quid hic tibi? Ille sudans, &
 tamen divinitus confirmatus, alloquitur Dæmonem, qui in-
 fantem gestabat: Tu, inquit, mihi infantem trade. Nequaquã,
 respondet iste, meus iam iste est infans, dic domino tuo, vt ve-
 niat, & accipiat infantem. Cui servus: Ego fungor iam officio
 meæ vocationis, in quam me Deus collocavit, & scio quicquid
 in hoc officio facio, id Deo gratum esse. Quare ratione mei of-
 ficij & auxilio, nomine & virtute Iesu Christi aufero abs te in-
 fantem, & patri eius restituo: Atque ita ipse apprehendit infan-
 tē, & brachijs suis amplexus est. Isti nihil aliud responderūt, nisi
 vociferantes, hui nebulo, hui nebulo relinque infantem, relin-
 que, alioq̄ te discerpemus. Ille nihil curas minas diabolicas abijt
 incolumis, & incolumem infantem patri nobili reddidit. Dæ-
 mones postea aliquot diebus elapsis evanuerunt, vt in ædes de-
 nuò migrate tota familia nobilis potuerit. Altera historia est:
 Quidam nobilis pro more vocavit omnes Dæmones, & equi-
 tans aliquando noctu, neminem nisi puerum secum habuerat:
 Tūm diabolorum magna caterva in eum irrupit, quasi eum
 abductura. Puer Dominum servatum cupiens, brachijs com-
 plectitur. Diaboli clamitant, puer aufer manus. Hac ratione
 servatus est nobilis. Puer enim secum Angelos custodes habu-
 it, cuius membris nocere diaboli non potuerunt, ex quo etiam
 latere, & ad quod puer equitârat, semper inde recesserant Dæ-
 mones. In Saxonia virgo opulenta formoso iuveni, at tenui-
 oris fortunæ, matrimonium promisit. Hic quid futurum præ-
 videns, illam prædivitem & sexus ratione mutabilem, fidem

vix

vix servaturam esse, puella respondit. Illa contra diris se execrari his verbis coepit, si alteri quam tibi nupsero, tunc diabolus in nuptijs illis me abripiat. Quid fit? Post intervallum aliquod mutat animum, nubit alteri, priore sponso spreto, qui eam semel atque iterum promissi, diraq; imprecationis admonuit. Sed illa post habitis his omnibus, nuptias cum altero sponso, relicto priore, celebrat. Ipso die nuptiali cognatis amicis & convivis hilaribus, sponsa, vigilante conscientia, redditur tristior solito. Tandem diaboli duo, sub specie duorum equitum, in aedes nuptiales adveniunt, excipiuntur, adducuntur mensa, hisque remotis, chorea; vniq; ex his sponsa honoris causa, tanquam peregrino, adiungitur, cum qua bis saltavit, & tandem eam e conspectu parentum & amicorum, summo cum gemitu & lamentatione, per ostium, in altum sustulit. Altero die parentes & amici moesti, sponsam quaerunt, vt delapsam forte sepe-
 pelirent, sed ecce idem socij occurrunt, vestes, aurum referentes, additis his verbis : non in has res, sed in sponsam a Deo nobis fuit potestas concessa. Hanc potestatem Satanæ in ho-
 mines, Deus, quandoque permittit, vt reliqui exemplo eorum admoniti, a diris istis imprecationibus abstineant. Quidam enim his votis vsque adeo assuescunt, vt in habitum ea degenerent, & pro decoro tandem habeatur, atque orationis lenocinio, si in colloquio horrenda eiusmodi concrepent voces. Deinde vt tractatus ac pactrones de coniugio contrahendo, non pro levibus sermocinationibus, quasi defabulis aut asini umbra, sicut in proverbio dicitur, habeant, vt ait Franciscus Hottomannus Conf. 44. n. 8. Sed pro conventionem de re omnium gravissima, & vt Apostolus ait, maximè honorabili. Cum
 itaque tanta sit malitia & odium diaboli adversus mortales, semper nos in excubijs stare, semper armis spiritualibus, oratione, invicta fidei constantia, suspirijs ad Iehovam, Ducem exercituum, munitos esse, semper gladium spiritus, ore simul, &
 D mani-

- manibus vibrare convenit, ne, Christi merito partam victoriam, nostra socordia amittamus, & salutis nostræ naufragium
- 11 faciamus. Noverunt enim Diaboli Christum venisse in mundum, vt destruat opera eorum : sicuti confitentur Marc. i. v. 24. illum ipsum esse sanctum DEI, qui sit Redemptor Israëlis, dum ad Christum dicunt, Ah, quid rei nobis tecum est Iesu Nazarene? venisti ad perdendum nos. Noui te qui sis, nimirum sanctus ille Dei. Et Matthæi 8. v. 29. Quid nobis tecum IES V fili
- 12 DEI? venisti ad torquendum nos. Certum præterea est, Diabolos tanquam simiam DEVM imitari, in erigendo & stabiliendo suo regno. Nam vt DEVS per Prophetas suos sanctos cum populo suo locutus est : ita hic princeps mundi per sua mancipia, Magos scilicet sceleratos, cum hominibus confabulatur, eosque mille modis decipit : Deinde vt D E V S verbo, Sacramentis, miraculis, & spiritu suo erigit Regnum & propagat : Ita Satan suo verbo (*cum verbum Dei facit suum abusu*) suis sacramentis (*id est characteribus, figuris, pilis, & alijs nugis*) suis præstigijs (*loco miraculorum*) & suo spiritu (*quo efficax est in voce Magorum*
- 13 & *Incantantium*). Nihil enim in votis magis habent maligni hi spiritus, quàm vt indies magis magisque crescat inter homines prophanatio nominis & verbi DEI. Hinc fit, quod se adeò obsequentem præbeant Magis & Veneficis, qui nomine DEI & sacrosancto eius verbo, ad Magicas incantationes superstitiones, figuras & sacrilegas adiurationes, abutuntur, vt Nicolaus Hemmingius, doctissimus Daniæ Theologus in Syntag. Instit.
- 14 Christian. de Magia. num. 2. 3. & 18. scripsit. Eò demum audaciæ & petulantis fastus excrevit horum insolentia, & ars, vt pro Dijs quoque haberi voluerint, & præsidere regionibus, populis, insulis, montibus, locis, vrbibus, vicis, familijs, quorum nomina partim sacræ literæ, partim historiographi recensent.
- 15 Fuerunt apud gentes ad minimum tricies sex mille Dij, vt veteres annotarunt, præter Deos Manes, id est, parentum, &

con-

conſanguineorum ſpiritus, quos pro Dijs habebant, quibus ſa-
 crificabant, & ad quorum ſepulchra comedebant. O in quan-
 tis tenebris & denſa caligine noctis, ſederunt gentes, antequam
 redemptor gentium advenit, qui iſtis, qui vincti erant dixit:
 Exite, & ijs qui in tenebris ſederunt: Illuminamini, Eſaię 48. v. 8.
 Et quanquam DEVS ex ſuo arcano conſilio & noſtro merito, 16
 vt diabolus ſuam Tyrannidem & ludibria in cuiuſcunq; or-
 dinis homines exerceat, quandoq; permittit: Non tamen in-
 dulget ei, conuiuetq; ad omnia: ſed limitatam & finitam po-
 tentiam ei concedit, alioqui vno momento à diabolo eneſti
 interiremus omnes. Exemplum habes Matth. 8. v. 31. & 32. vbi
 porcos ingredi nequiuit, niſi ſingulari Chriſti permiſſione. Nec 17
 vnquam illi DEVS in homines vel tantillum concedit, niſi vt
 vel probentur, ſi boni ſunt, vel caſtigentur, punianturq; ſi pec-
 catores, præfixis terminis, vltra quos egredi non poteſt.

CAPVT II.

DE MAGIA NATVRALI SIVE LICITA:
 ET PRAETER NATVRALI, DIA-
 bolica ſiue illicita.

Summæ.

- 1 Deus vult hoc mundi theatrum à ſe conditum, & abditas in eo re-
 rum cauſas ab hominibus perveſtigari.
- 2 Definitio Magiæ naturalis & licitæ.
- 3 Magorum profeſſio olim laude digniſſima.
- 4 Qua ratione Magiæ naturalis in Goëtiam Pharmatiam & Magi-
 am infamem diuidi cœperit.
- 5 Thomæ Eraſti ſententia de Magiæ licitæ.

D 2

6 Magia